

quod Deo placet. Praeterea in attritione cum spe veniae est conversio ad Deum *finem nostrum qui*; quae est vera conversio formalis ad Deum.

In attritione ergo licet non sit perfectissima conversio ad Deum, est tamen vera et sancta conversio; quod sufficit.

Ex his 3) patere etiam potest responsio ad argumentum Domini Soto in 4.^a D. XVII, q. 3. a. 2. nimirum conversionem debere esse talem, qua amicitia resarciatur; ad amicitiam autem resarciendam requiritur poenitentia offensae amico illatae. Arguit enim Soto ex eo quod inter homines usuvenit, qui amicitiam non restitunt offensori, nisi offensori offensa displiceat propter amorem amici offensi, ideoque nisi diligit. Verum advertere poterat insignis theologus huiusmodi argumentum valere pro reconciliatione obtinenda per opus operantis, sicut contingere solet inter homines; quamvis identidem et inter eos, si opus aliquod ponatur, quod non sit quidem actus amoris amicitiae erga offensum, sed tamen opus tale, quo satis retractetur offensa et ad quod sponte deinceps sequetur amor, ut si qui offensi filiam in sponsam petit et accipit, amicitia ab offenso offensori restituitur, quam ipsa admissio in familiam exigere videtur. Cum itaque in nova lege, gratia, quae est amicitia ad Deum, possit opere operato obtineri, satis est ea dispositio qua quis vere, licet nondum perfecte, convertatur ad Deum velitque divinam amicitiam; quamvis ad hoc nondum moveatur ex amore Dei.

Hoc ergo in hac materia tenendum est, quod ex natura Sacramenti dependet: nimirum, quandoquidem Deus voluit reintegrari amicitiam suam ope Sacramenti, hoc autem ad effectum producendum requirit tantum remotionem obicis; id exigi debet pro reconcilianda amicitia divina per Sacramentum, quod necessarium est pro removendo obice; hic porro obex est peccatum non retractatum, hunc autem obicem vel sola attritio ex timore servili excludit; ergo.

COROLLARIUM

Ex disputatis sequitur quod neque actus aliquis formalis caritatis, qui sit initialis amor Dei propter se quidem sed non super omnia (p. 280.), necessarius est ut attritio proxime disponat in Sacramento Poenitentiae. Sane id constat 1. ex hactenus demonstratis. Probatum est enim non solum caritatem non requiri, sed directe attritionem caritate expertem esse dispositionem sufficientem in Sacramento: idque ex Tridentino atque ex communi consensu Scholae ante Tridentinum ostensum est; ergo neque initialis amor perfectae caritatis neque amor concupiscentiae postulatur.

2. Et sane, quoniam, ut iam probavimus, ope Sacramenti ex opere operato reconciliatio hominis cum Deo obtinetur, id tantum postulari potest pro effectu Sacramenti obtinendo, quod removeat obicem gratiae impetrandae; id autem, quod removet obicem, est poenitentia positive excludens voluntatem peccati; talis autem est vel sola attritio ex metu gehennae concepta: ergo ea sufficit, nec aliud exigi potest, si propria Sacramenti efficacia integra manere debet.

3. Initialis amor perfectae caritatis, qui sit quidem amor Dei propter se, sed non super omnia, nulla est ratio cur exigatur. Non enim ut excludatur voluntas peccati, quia, cum non sit amor super omnia, non liquet cur eam excludat, atque ad hanc exclusionem sufficit timor: non ut habeatur vera conversio hominis ad Deum; nam conversio vera et perfecta, quae per se reconciliet, neque necessaria est, neque per ipsum habetur: conversio autem vera, sed imperfecta satis habetur per simplicem attritionem (Th. praec. V.): nec exigi potest tanquam dispositio necessaria ad amicitiam cum Deo reconciliandam; nam id quidem postulari potest cum reconciliatio facienda est ex opere operantis, non vero cum efficienda est ex opere operato (cf. l. c.), quod solam remotionem obicis requirit Ergo huiusmodi initialis amor necessarius non est.

Non est ergo necesse ut in poenitente attrito excitetur virtute absolutionis aliquis actus amoris, quo eius attritio evadat contritio, ut sic dispositus proxime existat ad effectum absolutionis. Neque huiusmodi efficacia absolutionis ad hunc actum excitandum probari potest, cum, ceteris omissis, frequentissime in vere attritis desit.

THESIS XXXII.

Falsum prorsus est sententiam sufficientiae attritionis ex metu servili in Sacramento fuisse ante Concilium Tridentinum in Ecclesia inauditam, eamque post Concilium efflorescere cepisse. Imo certe e contrario affirmari potest doctrinam, quam adversarii defendunt, quemadmodum ab illis proponitur, non esse antiquam, nec sua origine admodum commendari.

I. Ait Ioannes Morinus Opusc. De Contrit. et Attrit. c. 1. nomen *Attritio* circa annum Christi MCCXXX. in Scholis audiri cepisse primosque citat, qui hoc nomen celebre fecerint, Alensem, Albertum M. et Guillelmum Parisiensem. Sed ante hos B. Alanus Magnus in suis Regulis theologicis, reg. 85. « ea voce iterum et tertio utitur (verba sunt Ioannis Aloisii Mingarelli editoris), neque vero ipsa, ut nova quadam et a se primum excogitata dictione, sed ut ea, quae theologis nota esset, videtur uti. » Defunctus est vero Ala-

nus anno MCCIII, easque regulas scripsisse videtur antequam Antisiodorensium Episcopus crearetur anno MCLI. Sub initium ergo duodecimi seculi haec vox in usu erat ad significandam imperfectam contritionem.

Exinde vero Attritionis nomen in Scholis frequentissimum esse cepit, cum de dispositionibus ad iustificationem ageretur. Et quamvis, ut iam monuimus alibi, non una esset huius vocis determinata significatio; tamen eâ semper significata est quoque contritio imperfecta concepta ex metu poenarum et consideratione turpitudinis peccati atque usus huius vocis in hac significatione communis fuit Theologis, ut liquet tum ex Cano asserente Relect. De Poenit. p. III.: «Secundum genus imperfectae displicentiae est, quae oritur a timore poenarum. Poenas vero intelligo spirituales vel aeternas, quae lumine fidei cognoscuntur: et hanc doctores scholastici omnes *attritionem* vocant»: tum ex Tridentinis Patribus Sess. XIV, cp. 4; ita loquentibus «illam vero contritionem imperfectam, quae *Attritio dicitur*, quoniam vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur».

Iam vero aiunt eruditi theologi, qui nobis adversantur, ante Concilium Tridentinum nullum exstitisse in Schola Theologum, qui doceret sufficientiam attritionis in Sacramento. Concina (De insuffic. attr. serv. c. 4) «quo tempore prodiit opinio attritionis servilis, eodem circiter seu paululum post, anno nempe MDLXXVII. in medium apparuit et quidem in eadem Universitate Salmaticensi Probalismus». Berti. Disc. Theolog. Tom VII, L. 34. c. 5. p. 6. affirmat «sententiam oppositam (necessitati amoris initialis super omnia) fuisse ignotam theologis omnibus, qui praecesserunt Synodum Tridentinam». Hanc esse dicimus intolerabilem falsitatem, quae est praeterea iniuriosa ne dum tot theologis, sed et Patribus ipsis Tridentinis. Sane I. Cum adversarii docere volunt Synodum Tridentinam noluisse definire quaestionem de sufficientia attritionis in Sacramento, producant illud in medium, quod Historicus Concilii quoque monuit (l. c. supra), consilium fuisse Patrum abstinere ab iis decidendis quaestionibus, quae scholasticae essent et in quibus opiniones Theologorum discrepant. Concina ibid. c. 3. «Tridentinum quidem delevit verbum *sufficit*, ut nihil in Sess. XIV definiret super hac quaestione Catholicorum». Ergo ante Concilium Tridentinum dissensus erat in Scholis circa hanc rem, aliis negantibus aliis affirmantibus sufficientiam attritionis. Cur ergo dicunt exstitisse nullum theologum affirmantem? Non satis cohaerent haec dicta eruditorum.

2. Verum non tantum quosdam, sed plures exstitisse, qui id

affirmarent eamque fuisse sententiam communem constat primo ex formula priori decreti cp. 4. Sess. XIV, proposita Patribus Tridentinis, quam iam attulimus in Th. XXX. In eo enim decreto, cuius mentionem facit Historicus post habitas congregationes theologorum, dicebatur attritio ex metu concepta *sufficere ad Sacramenti constitutionem*. Iam vero probabile ne est quod theologi, deputati ad conficienda decreta, illud in iis assererent, quod a communi sententia abhorrebat? an non potius putandum est eos expressisse illud, quod communis sententia Scholae et consensus communis theologorum Tridentinorum, quorum sententias audierant, praeferebat? Id certe arbitrari necesse est neque aliter concipi potest illius decreti concinnatio. Nisi ergo supponamus theologos illos hebetes fuisse aut caecutientes in meridie, dicendum est formulam eam priorem suppeditare nobis testimonium certissimum antiquitatis et universalitatis illius doctrinae.

3. Idem evidenter constat ex controversia Lutheri cum Catholicis hac in re, cuius quidem controversiae notionem adversarii nostri pervertere curarunt. Iueninus de Sac. Poenit. c. 4. §. 4. inquit «Contendebat Lutherus attritionem nullatenus disponere ad contritionem seu ad actum virtutis Poenitentiae, et sic non praeparare nec remote ad recipiendam gratiam iustificationis in Sacramento.. Catholici e contra, cum unanimiter docerent attritionem non disponere proxime ad recipiendam gratiam in Sacramento, propugnabant eam remote ac mediate te praeparare ad recipiendam gratiam in eodem Sacramento... Haeresis Lutheri aliorumque haereticorum in eo non erat posita, quod quaereret utrum attritio sufficeret cum Sacramento necne; nam tunc temporis hac de re nondum disceptabatur, sed in eo solum posita erat, quod assereret (ut asserebat ipse Lutherus) attritionem esse de se et natura sua pravam». Laurentius Berti Tom. VII. L. 34. c. 5. per. 2. «Principio iidem haeretici docuerunt poenitentiam solo amore concipi nec ex amore timori coniuncto, sed perfecto metum quemlibet expellente. Id liquet ex Lutero, qui in assertione art. VI. reiicit theologiam illam, quae inter odium et gratificantem amorem medium fingit, quod contritionem parit... Deinde Lutherus affirmavit amorem initialem coniunctum timori non esse dispositionem ad gratiam, sed impedimentum: ait namque in assertione art. IV. — verum est imperfectam caritatem esse impedimentum ad introitum regni propter vitium quo imperfecta est — scilicet propter metum gehennae, qui in haereticorum sententia inficit maculatque omnia, quae ante caritatem perfectam et iustificantem efficiuntur ab impio, etiam actum amoris initialis, cui timor conglutinetur.»

Verum falsa haec esse facile probatur. Conferantur dicta Lutheri recitata in pag. 282 et seq. Constat 1) contritionem impugnata a Luthero esse eam, quae ex solo timore conciperetur citra omnem actum amoris. Sane ex testimonio Lutheri primo patet ipsum distinguere duplicem contritionem: priorem vero, quae est ea, quam ipse reprobat, ita describi, ut expers sit prorsus omni actu amoris: « quia solum timore praecepti, et dolore damni id facit. Haec est illa contritio, quam ipsi (catholici) vocant extra caritatem non meritariam. » Unde illi contritioni opponit eam, quae non ex intenso amore, sed simpliciter ex amore iustitiae oritur. Quod et ex tertio eius testimonio liquet « poenitentia, quae sine amore iustitiae agitur, vetus adhuc est creatura » et « si non simul diligit, non vere poenitet. » Id patet quoque ex quarto; hypocritam enim eum vocat, qui quod facit, non ex animo et sincero corde facit; docet autem facere sine corde, qui sine amore Dei et iustitiae facit; testaturque se in art. 6. de hac collectione peccatorum locutum esse, cum dicit eam facere hominem hypocritam. Id tandem liquet ex probatione ipsa Lutheri sexto loco allata; reprobatur enim eam contritionem eo quod non possit esse odium peccati, nisi procedat ab amore iustitiae.

Constat 2) Lutherum contritionem spectasse prout pars est Sacramenti, idque in catholicis reprehendisse quod contritionem eam, quae iuxta Lutherum facit hypocritam et magis peccatorem, ipsi nondum probarent, sed proximam quoque dispositionem ad absolutionem contenderent. Patet id ex primo testimonio, in quo utriusque contritionis descriptio concluditur, expressa habitudine utriusque ad absolutionem: « Et tales omnes indigne absolvuntur. Et hi non sunt digni absolutione », idemque altero testimonio, in quo exprobat Lutherus catholicis quod finxerint quamdam attritionem, quae virtute clavium fieret contritio, quaeque etiam in iis, qui nondum iusti sunt, esse possit. Atqui id est refellere in catholicorum sententia illud, quod ipsi docebant de attritione relate ad Sacramentum Poenitentiae; docemurque ex hac antithesi Lutheri quatenus esset thesis catholica, nempe attritionem, quae est contritio extra caritatem, fieri virtute clavium contritionem, atque huiusmodi attritos non indigne absolvi.

Verum proinde est quod Lutherus reprobavit attritionem, quae iuxta catholicos disponeret ad contritionem, sed simul verum est quod reprobavit et attritionem, quae disponeret ad absolutionem. Scilicet Scholastici distinguentes iustificationem ex opere operantis, ab ea quae fit ex opere operato, utramque docebant incipere a timore et attritione, primum vero perfici contritione, alteram vero

Sacramento, quo proinde attritus fieret aequivalenter et habitualiter contritus. Cum autem Lutherus attritionem per se spectatam vellet esse actum malum, negabat per eam posse disponi hominem ad iustificationem quocumque modo impetrandam.

III. Falsa est igitur interpretatio a Iuenino adhibita verbis Lutheri, ac si iste negasset tantum attritionem disponere ad gratiam in Sacramento, quia non potest disponere ad contritionem, quae est dispositio-proxima in Sacramento; ideoque negaverit attritioni rationem *dispositionis remotae* ad gratiam in Sacramento, quam unice Catholici ei adserebant. Id enim gratis prorsus affirmatur ab hoc Theologo in toto orbe celeberrimo, damnato tamen ab Apostolica Sede; Lutherus enim diserte negat quod catholici docebant, attritionem virtute clavium fieri contritionem: atqui hac formula catholici non docebant attritionem praeparare ad contritionem, et hanc ad absolutionem; sed imo virtutem clavium supplere defectum contritionis, ideoque satis esse cum Sacramento attritionem pro impetranda gratia. « Id enim intelligimus (ait Ruardus Tapperus Academiae Lovaniensis insigne decus, in defensione art. 4. qui est de attritione, contra Lutherum) ex attrito fieri contritum, gratiam et sanctificationem consequi virtute Sacramenti, perinde ac si vere esset contritus: non autem quod inesse incipiat actus aliquis, qui est proprie contritio ex Dei super omnia dilecti amore procedens ».

Patet etiam Bertianam interpretationem esse prorsus ineptam, quae non nisi ex corruptis testimoniis oriri potuit. Nam verba Lutheri priore loco citata ex Assert. art. 6. haec sunt « Quibus verbis (Rom. V. 20; Gal. III, 19; I. Cor. XV, 56) prorsus Apostolus neutralem illam Theologiam evacuat, quae inter odium et gratificantem amorem, *medium fingit naturalem amorem legis, qui contritionem istam caret* ». Differunt omnino haec Lutheri verba ab allatis a Berti. Nimirum *contritio ista* est attritio, quam ab amore sui procedere docebant catholici, quem Lutherus vocat amorem naturalem medium inter odium Dei et amorem Dei iustificantem, imponens quidem catholicis sive perperam interpretans amorem naturalem, de quo Scolastici loquebantur, sicut deinde Ianseniani; quod non est opus heic declarare.

Alterum vero testimonium Lutheri allatum a Berti, cum spectet ad assertionem art. 4. non liquet quomodo exhibeat sententiam posteriorem ea, quae continetur in assertione art. 6. Ceterum ibi Lutherus loquitur de impedimento ad introitum Regni caelestis, non ad iustificationem: nescimus autem an isti Theologi eandem dispositionem animique munditiam postulent pro iustificatione, ac pro ingressu in caelum. Si ita est, vel una culpa levissima non deleta

ipsumque debitum minimae poenae obstabit iustificationi. Vitium autem, quo iuxta Lutherum caritas imperfecta inficitur, non est timor, ut Berti persuadere vult, sed est *concupiscentia!*

IV. Itaque certum est Lutherum reprehendisse in Catholicis quod attritionem ex solo timore conceptam, expertem caritatis voluerint esse dispositionem proximam in Sacramento, seu talem dispositionem, qua sola existente posset non indigne dari absolutio, fierique attritum per eam contritum. Cuius rei testis omni exceptione maior est etiam Bellarminus, qui Poenit. Lib. II, c. 48 ait « Una adhuc quaestio tractari potuisset, an videlicet attritio sive imperfecta contritio, quam certum est sine Sacramento non sufficere ad iustificationem, sufficiat cum Sacramento, ita ut poenitens ex attrito virtute absolutionis fiat contritus et iustificetur (Attritio Bellarmini ea est quae ex solo metu concipitur. cf. ibid.) Lutherus enim id aliquando negavit, ut perspicuum est ex eius responsione ad Dialogum Silvestri Prieratis, ubi de conclusione 6. loquens; error est, inquit, quod attritus fiat contritus virtute clavium.

Colligimus igitur, aetate Lutheri sententiam Scholae catholicae eam fuisse, quam nos defendimus; eam enim Lutherus non uni aut alteri, sed generatim catholicis tribuit; eamque, quod advertendum est, a solo Luthero negatam asserit Bellarminus. An si sententia negans fuisset communis in Schola Catholica, id potuisset asserere Bellarminus eamque sententiam negantem tribuere haeretico novatori?

V. Rursus idem evincitur ex defensione Scriptorum Catholicorum, qui contra Lutherum primo scripserunt. Hi enim admissa definitione attritionis, quam Lutherus a Catholicis acceperat, de qua nunquam fuit quaestio, propugnarunt, nedum eam esse actum bonum et supernaturalem, sed et esse dispositionem sufficientem ad reconciliationem cum Sacramento. Constat id ex Silvestro Prierate, ex Ioanne Fischero Episcopo Roffensi et martyre, et ex Ruaro Tappero. Primus enim in Dialogo contra Lutherum n. 6. docet attritos virtute clavium iuxta Sanctorum interpretationem fieri contritos; et n. 31 ait « perfectissimi rariores sunt quam veri poenitentes... dico etiam quod vere poenitentes tot sunt quot attriti confitentes, cum omnes tales Dei gratiam consequantur, nisi obicem ponant ». Cf. Fischerum in confutatione art. 6. et Tapperum loco citato.

VI. Constat evidenter sententiam nostram ante Concilium Florentinum docuisse s. Thomam, ut probavimus in praeced. thesi, omnesque fere Thomistas in sui Doctoris concessisse sententiam. Id enim testatur Dominicus Soto in 4.^m d. XVIII. q. 1. a. 3. « Observa com-

parationem hanc, qua baptismum simul cum poenitentia componit (s. Thomas). Unde Thomistae inferunt quod sicut quaestione praecedenti art. 3. D. Thomas dixit posse quempiam accedere cum conscientia peccati mortalis ad baptismum, scilicet cum attritione, cognoscens se non esse contritum: possit pariter et ad poenitentiam ». Idem Scotum eiusque discipulos docuisse, res est, quae demonstratione non eget; cum potius vitio vertatur Scoto quod nimis parum exegerit in suscipientibus Sacramento. Cf. Morinum De Contr. et Attr. c. 8. Porro hae erant ante Tridentinum celebriores Scholae Catholicae.

Itaque satis demonstratum est sententiam nostram ante Concilium in Scholis catholicis viguisse ac fuisse communem.

VII. Quid ergo voluit dicere Morinus De Admin. Sacr. Poenit. L. VIII, c. 4. inquit neminem se legisse ante Melchiorum Canum et Henricum Salmaticensem, qui doceret *Attritionem ex sola formidine poenae conceptam talemque a poenitente cognitam et immutate sese habentem legitimam et sufficientem esse praeparationem ad gratiam in Sacramento suscipiendam?* (1). Nimirum quia Franciscus Victoria Magister Cani docuerat sufficere quidem attritionem ita tamen ut existimetur contritio, quam sententiam pro Sacramento Poenitentiae secutus est quoque Soto: Melchior Canus improbens hanc doctrinam, dixit sufficere attritionem cognitam ut talem. Haec est quoque doctrina Thomae, cuius proinde auctoritati innititur Canus Rel. De Poenit. P. VI. sed his disertis verbis primum a Cano forte proposita fuit.

VIII. Cum ostenderit sententiam nostram esse antiquam, breviter demonstrare lubet novam esse sententiam adversariorum. Sane sententia eorum his duobus simul sumptis continetur: Sacramento Poenitentiae efficax esse pro conferenda prima gratia remissiva peccatorum, postulari tamen pro digna susceptione contritionem conceptam ex amore Dei propter se super omnia dilecti. Iam vero hanc doctrinam nullus veterum docuit; qui enim hanc contritionem requirebant, tum negabant primam gratiam conferri per sacramentum, tum docebant contritionem quavis, quae conciperetur ex amore Dei propter se super omnia, hominem iustificari. Fundamentum vero eius doctrinae posuit

(1) Sunt qui audientes Morinum docentem satis esse pro sacramento attritionem (op. cit. L. VIII, c. 7.) id statim arripientes enumerant Morinum inter eos qui docuerunt sufficere in sacramento attritionem ex poenarum metu (Benaglio dell' Attrizione vol. II, c. 5. a. 13). Sed egregie falluntur: quam enim Morinus attritionem appellat, est contritio ex caritate quidem profecta, sed non adeo intensa ut per se sola satis sit ad obtinendam iustificationem (op. cit. l. c. n. 14, et L. I. c. 13. n. 14.)